



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687

Benedictio agni paschalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

& gratiarum actio deo Patri & Filio, & Spiritui sancto, & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc & semper. **R.** Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Domus novæ.

V. Adjutorium nostrum &c. **R.** Qui fecit cœlum & terram.

V. dominus vobiscum. **R.** & cum spiritu tuo.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus, pro hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam benedicere & sanctificare, ac bonis omnibus ampliari digneris: tribue eis domine de rore Cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere & sanctificare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Jacob: & intra parietes domus istius angeli tuæ lucis inhabitent, eamq; & ejus habitatores custodiant. Per Christum dominum nostrum. **R.** Amen.

Deinde aspergitur aqua benedicta.

Benedictio Thalami.

V. Adjutorium &c. **R.** Qui fecit cœlum & terram.

V. dominus vobiscum. **R.** & cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic domine Thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna Cœlorum perveniant. Per Christum dominum nostrum. **R.** Amen.

Aspergatur Thalamus aqua benedicta.

Benedictio Communis super fruges.

V. Adjutorium &c. domine exaudi orationem meam &c.

V. dominus vobiscum. **R.** & cum spiritu tuo.

Oremus.

O Ramus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris, & pluvie temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à sterilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus replas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum dominum nostrum.

R. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

Benedictio agni Paschalis.

V. Adjutorium &c. dominus vobiscum.

Oremus.

Deus, qui per famulum tuum moysen in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi jussisti, in similitudinem domini nostri Jesu Christi, & u-

G

trosq;

Benedictio Ovorum.

trosq; postes domorum de sanguine ejusdem agni perungi præcepisti : tu
benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris, hanc creaturam carnis, quam nos
famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem ejusdem
Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum.

R. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

Benedictio Ovorum.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cœlum &c.

V. Dominus vobiscum. **R.** & cum Spiritu tuo.

Oremus.

Subveniat, quæsumus domine, tuæ benedictionis ✠ gratia huic ovorum
creaturæ, ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione
sumentibus, ob resurrectionem domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit
& regnat in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Panis.

V. Adjutorium &c. **V.** Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Domine Jesu Christe Panis Angelorum, Panis vivus æternæ vitæ, bene-
dicere ✠ dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in de-
serto, ut omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem.
Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Aspergat aqua benedicta.

Benedictio Panis alia.

V. Adjutorium &c. **V.** dominus vobiscum &c.

Oremus.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne deus, benedicere ✠ digneris
hunc panem tua sancta spiritali benedictione : ut sit omnibus sumen-
tibus salus mentis & corporis, atq; contra omnes morbos, & universas inimi-
corum insidias tutamen. Per dominum nostrum Jesum Christum Filium
tuum, panem vivum, qui de cœlo descendit, & dat vitam & salutem mundo :
& tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti deus, per omnia sæcula sæ-
culorum. **R.** Amen.

Mox aspergat aqua benedicta.

Benedictio novorum Fructuum.

V. Adjutorium &c. **V.** dominus vobiscum &c.

Oremus.

Benedic domine hos novos fructus N. & præsta, ut qui ex eis in tuo san-
cto nomine vescantur, corporis & animæ salute potiantur. Per Chri-
stum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Aspergantur aqua benedicta

Benedictio Herbarum in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.

Sacerdos indutus alba, manipulo & stola absq; casula, ante summam missam, habens coram
se herbas benedicendâs, dicat signando se signo S. crucis.

V. ad-